

do, id est, εὐθεῖαν καὶ εὐκαλίαν καὶ κάλλος. idq; officio Oratoris continetur hoc modo, ut dicat ad persuadendum accommodate. Hæc in primo de orat. sic exponuntur, ut uis Oratoris, id est dicendi ars atque facultas in partes quinque distribuatur. In hac enim esse primum, reperire quid dicatur. Secundum, inuenta ordinare, dispensare, disponere. Tertium, hæc ornare uerbis atq; sententijs. Quartum, memoria cogitationes animi representare. Quintum, accommodare orationi actionem conuenientem. horum sunt nomina Græca, εὐρέσεως, τάξεως, ἐρμηνείας, μνήμης, ὑπεκρίσεως. Oratio autem rhetorica, opus quoddam seu actus quidam Oratoris, dicitur in primo de Oratore absolui his: ut concilientur initio auditorum animi, deinde res demonstretur, quæ erit narratio. postea controuersia constituatur, nimirum diuisione aut propositione. tum id quod intenditur, ut confirmetur, et refellantur ea quæ contrà dicta sint. Postremo, ut amplificentur nostra, eleuentur aduersarij dicta, quæ erit conclusio. In Phædro autem plures partes referuntur, quam quidem curam, quasi contemnens, Socrates τὰ κομψὰ τῆς τέχνης appellat εἰρωνυόμενον. Nominantur autem hæc, προοίμιον, proœmium, quod est initiū orationis arte compositum. διηγήσις, narratio. μαρτυρίαι, testimonia.